



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus XVI. De Oratione mantali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

cumque. Item ab Horis Canonicis neglectis, transpositis, indebitè lectis vel omisissis. Deinde eadem auctoritate absolvo vos, quantum claves Ecclesie in hoc foro se extendunt, ab omnibus peccatis vestris: In nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus sancti. Amen.

Deinde significet, quod quilibet eligere possit Confessarium, qui eum pro una vice absolvat auctoritate R. A. P. Ministri ab omnibus peccatis & casibus si quos commisisset.

TITULUS XVI.

De Oratione Mentali.

1. **I**N primis de nocte post Matutinum per spatium horæ dimidiæ orationi mentali omnes devotè insistant, quî de nocte choro non intersunt, recollectionem servabunt mane hora 4ta in choro. Item vesperi post Completorium, vel post cœnam, pro ratione temporis.
2. Ante meditationis initium alicujus libri spiritualis lectio lingua vernacula, ut etiam Laici intelligant, semper præmittatur, quæ meditationis materiam & devotionis fomentum subministret.
3. singulis annis ab omnibus inviolatè servetur octiduana recollectio, Annum à prima Januarij usque ad primam Januarij, anni sequentis computando, & P. Guardianus pro singulis octiduum istud distribuet, pro ut personis commodius à Communitatis servitiis carere poterit. Servantes octiduana exercitia, illo tempore confessi & Eucharistiæ Sacramento refecti, lucrantur plenarias Indulgentias, habentq; libertatem semel eligendi Confessarium cum plenitudine potestatis.
4. Fratres Laici tempore suorum exercitiorum, omni opere manuali & aliis ordinariis occupationibus sepositis, die ac nocte per omnia Communitatem sequuntur, iisque à P. Guardiano pro illo tempore aliquis Director assignetur: Clerici verò in choro omnibus fungantur

gantur officiis ad eos pertinentibus ; quod etiam præstent Patres Sacerdotes , qui tamen à prædicationibus & confessionibus audiendis toto illo tempore omnino abstineant , nisi summa necessitas iudicio P. Guardiani aliud requirat.

TITULUS XVII.

De Disciplina.

1. **A**D meliorem carnis mortificationem , disciplina ab omnibus sumatur tertio qualibet hebdomada : feria scilicet 2da. 4ta & sexta , dummodo non occurrat dies communionis , aut festum secundæ classis , in Statutis quoque tam Generalibus quàm Provincialibus excipiuntur quædam Octavæ.

2. Servatur autem disciplina mane postquam Communitas excitata : & dato à Portario signo : ut Parte 4. Tit. 19. n. 12. dictum : Præses in sua cella alta voce intonat Antiphonam *Ne reminiscaris* , & statim inchoat Psalmum *Miserere mei Deus*. Legitque primum Versum , & deinde alternatim proseguuntur usque ad finem cum *Gloria Patri*.

3. Absoluto Psalmo Communitas repetit simul Antiphonam :
*Ne reminiscaris Domine delicta nostra vel Parentum
nostrorum neque vindictam sumas de peccatis nostris.*

Et postea addit :

Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem ,
mortem autem crucis , propter quod et Deus exaltavit il-
lum , et donavit illi nomen quod est super omne nomen , ut in
nomine **JESU** omne genu flectatur cœlestium terrestrium et
infernorum , et omnis lingua confiteatur illi quia Dominus no-
ster **JESUS CHRISTUS** in gloria est Dei Patris.

Hh 3

4. Dein-